

Quibus quatuor annis elapsis, extunc nos huius articuli ordinationem seu dispositionem immutandi vel ulterius continuandi absque cuiusquam nationis contradictione plenam et liberam habebimus facultatem.

De ordinatione magistrorum in collegiis.

5 Item est intentionis et voluntatis nostre quod magistri qui recipiuntur pro nunc ad collegia ordinem secundum senium magisterii observabunt. Cetera vero statuenda et ordinanda in universitate stabunt ad arbitrium nostrum. Et si aliqua dubia in premissa ordinatione occurrerint vel in ordinationibus adhuc faciendis, hec omnia arbitrio nostro et voluntati reservamus. Huius ordinationis pronuntiatio facta fuit anno domini M<sup>o</sup> cccc ix.  
10 secunda feria post primam dominicam adventus domini, hora quasi nona, in refectorio canonicorum regularium cenobii sancti Thome in Liptzk, presentibus serenissimis principibus prenominatis una cum episcopis, prelatis, magistris ad hanc faciendam rogatis specialiter et vocatis.

## 3.

15 *Papst Alexander V. beauftragt den Bischof von Merseburg sowie die Dechanten der Merseburger und Naumburger Kirche die Universität vor allen ihren Feinden und Gegnern zu schützen und ertheilt ihnen volle Macht dieselben zu bestrafen.*  
Pistoja, 1409 Dec. 19.

*Hdschr.: Or. Perg. Archiv der Universität No. 1 mit dem Bleisiegel an hänsfener Schnur.*

*Gedr.: Horn, Friedrich der Streibare 309. — C. O. Rechenberg, de advocatiis et advocatis German. Lips. 1725*

20 *Anhang 1.*

*Ann.: In dorso: R<sup>ta</sup> gratis Jo. Stalberg.*

Alexander episcopus servus servorum dei venerabili fratri . . episcopo Merseburgensi et dilectis filiis . . Merseburgensis | ac . . Nuemburgensis ecclesiarum decanis salutem et apostolicam benedictionem. Dum attente considerationis indagine perscrutamur,  
25 quod per litterarum studia cooperante illo a quo omnium carismatum dona manant viri efficiuntur scientiis eruditi, per quos equum ab iniquo discernitur, erudiuntur rudes, pro-  
30 ducti ad altiora | concresecunt et fides catholica roboratur, libenter non solum loca ubi huiusmodi pollent studia, sed etiam studentes in eis specialis defensionis munimine ac  
35 gratiis et libertatibus honoramus. Sane pro parte dilectorum filiorum universorum |  
40 doctorum, magistrorum et scolarium studii opidi Lipzcensis Merseburgensis diocesis nuper per nos erecti conquestionem percepimus, quod nonnulli archiepiscopi, episcopi nec non alii ecclesiarum prelati et clerici ac ecclesiastice persone tam religiose quam seculares, nec non duces, marchiones, comites, barones, nobiles, milites et laici, communia, civitates, universitates opidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum et alie singu-  
lares persone civitatum et dioceseum et aliarum partium diversarum occuparunt et occupari fecerunt castra, villas et alia loca, terras, domos, possessiones, iura et iurisdictiones, nec non fructus, census, redditus et proventus universitatis dicti studii et nonnulla alia bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia ad doctores, magistros et scolares predictos spectantia et ea detinent indebite occupata seu ea detinentibus prestant auxilium, consilium vel favorem, nonnulli etiam civitatum, dioceseum et partium